

## PLAUTI CISTELLARIA MENANDREA IN DIOSCURIDIS MUSIUO POMPEIANO

Fuit in Ciceronis quae dicitur uilla Pompeiana opus musium, Dioscuridis Samii manu sollerti concinnatum, quod nunc est in Museo Neapolitano no. 9987 — eiusdem artificis est opus gemellum no. 9985 — in catalogo *Guida illustrata del Mus. Nazion. 1908 per cura di A. Ruesch no. 169 p. 56* breuiter descriptum, modo ampliter et enarratum et depictum in libro *Ludouici Curtii Die Wandmalerei Pompejis Leipz. 1929 p. 340 seqq. tab. X.* Vtrumque opus Dioscuridis nuper summa cum sollertia magnisque cum aerumnis Franciscus Winter amicus, uir egregius et doctrina et moribus, quem nobis ereptum lugemus semperque lugebimus, delineauit Neapoli coloribusque pinxit. Quas picturas equidem spero fore ut edantur dignae a dignis dignoque cum apparatu. In scaenae comicae suggestu, ad quem tribus gradibus ascenditur, conspiciuntur mulieres tres personatae, quae adsident in sellis tribus, quarum sellarum una, quae uideri potest, id est in sinistra parte, puluino est cooperta et Babylonicis peristromatis summi pretii, quarta persona tunica demissicia, capillo puerili, imberbis, stat a dextra cum cyatho, lenae quam proxime sese adplicans bibosae quae adsidet, eique uinum praebere parata. Cyathus autem argenteus albo lapillorum colore facile intellegitur. Neque mulier uidetur esse iste ministrator uinarius, qui arte cum lena bibosa copulatus adstat, sed seruolus barbarus, ueluti ex Asia Syrophoenix aut Lydus, uel — quod probabilissimum — Bagoas quidam et eunuchus, qualem in Eunucho Menandri meretrici donauit amator Atticus. Quem propria ueste indutum fuisse testatur Terentius Eun. u. 370. 683, adfuisse mulieribus in gynaeconitide, quam dicit interiorem partem aedium, legitur u. 579, scilicet morum praefectum et custodem. Quod is homo in hoc opere musiuo tantummodo dimidiatus et dissectus conspicitur, ea re indicatur, archetypon picturae Atticum, quo

usus erat Dioscurides, non totum tessellaria esse imitatione  
ab illo repraesentatum, sed nescio qua de causa a dextra



parte nonnihil esse aut neglectum aut de industria omissum.  
Qua iactura periisse consentaneum est portam scaenicam,  
qua intus itur in interiores aedium partes, quam in altero

Dioscuridis opere (apud Curtium l. s. s. tab. IX p. 288) prope marginem dextram uidemus effictam. Anus autem illa uinosa foeda est facie, albis capillis, capite uelato, dextra tenens cantharum, morum suorum tamquam indicem. Reliquae duae mulieres bonae aetatae sedent sinistrorsum. Sellae, quibus sedent mulieres, non formam exhibent cathedrarum, quibus uel discipulae insident teste Horatio serm. I 10, 91, sed carent epiclinto. Quali sessibulo meretricii ordinis mulieres uti solere adnotant interpretes ad Iuuen. 3, 136 Plaut. Poen. 266 Vssing., quorum in numero uetus scholiasta ad Iuuen. l. s. s. scripsit: 'inde sellariae dicuntur'. Quae mulier adulescentula a sinistra adsidet, primum locum conuiuii uidetur tenere. Intuetur illa et anum et ministrum, qui anui praesto est iussusque uinum ministrabit lenae. Quae sola uinibua est, reliquae duae sobriae. Honoratur illa quidem adulescentula et stragulae uestis splendore et eo quod manibus tenet filum duplex, per globulos perforatos quod ductum est. Hoc Winterus agnouisse sibi uisus est: possumus afferre illi locos Propertii II 24, 12: *et manibus dura frigus habere pila*, et Martialis XI 8, 6: *sucina uirginea quod regelata manu*. Leuiter sublatis manibus igitur haec mulier de industria pilas frigidas sursum tenet pendentes, ne calescant in gremio, easque leuiter ludendo contrectat, sicuti hodieque in Graecia faciunt uiri in conuiuiis primi ordinis, quibus similia ludicra honoris causa offerri solent ab aedium domino, et graues et honorati. Quae proxima sedet mulier, ea dextra sublata gesticulatur, quasi cum spectatoribus, quos intuetur, sermocinando. Lenae autem uel matris alterius meretricum personam aegre fero non esse enarratam in Caroli Roberti libello *Die Masken der neuereu att. Komoedie Halle 1911 p. 36 seqq.* Quae intuetur quidem spectatores, sed cantharo suo uidetur esse intenta soli: *γραῦς ἦδε οἰνοφόρος κεχαρημένη ὄδε κάθηται* uersiculum faceti artificis anui bibosae, quae lagonam suam mordicus circumplectitur, adscriptum, ad Lucilii u. 302 equidem olim adscripsi. Ante mediam mulierem mensa tripes posita est pedibus in pedum bestiarum figuram conformatis, marmoream mensam eiusmodi Delphicam appellari tradit uterque uetus interpret Horatii ad sermon. I 6, 116. Qua in mensa media collocatum agnoscitur suppositorium tripes, pedibus sinuatis, qui exeunt in ferarum ungues et sustinent pateram rotundam, tribus arietum capitulis in margine ornatam, e quibus duo

apparent, unum latet. Neque ego quidem dubito, quin haec cortina candelabrum breue sit tale, quale non in pauimento, sed qualia in mensa collocabantur, cuius generis quattuor exemplaria exhibet delineata Ouerbeckii liber de Pompeis (Leipz. 1884) p. 435, item duo Mauii liber (Leipz. 1908) p. 396, et alia et eadem Mus. Borb. IV tab. XIV, VI tab. XXX cum suis sibi lucernis. Itaque uas rotundum, quod a dextra parte candelabro adstat, uidetur esse lucerna polymyxos rotunda, qualia exhibentur apud Ouerbeckium l. s. s. p. 432 g h, apud Mauium p. 392, 212. Singulae lucernae partes aegre discerni posse non est mirandum, ansulam tamen exiguam a dextra adnexam et sex fere rostra albis lapillis indicata in superficie lucernae coniciat quis magis quam dispiciat. Scaenam esse comicam et meretricum prandium esse depictum nemo negabit, qui nouam comoediam nouerit. Quantopere autem lucerna ad poesin amatoriam spectauerit, ex locis collectis in indicibus *Friderici Iacobs Anthol. Gr. V (Lips. 1795) p. 399 s. u. lucerna Animadu. III 3 (Lips. 1814) p. 347 s. u. λύχνος* potest intellegi. Quibus ex locis unum tantummodo A. P. VI 333 hoc loco proponendum arbitror. Epigramma dico M. Argentarii, quem Augusti aetate scripsisse constat:

ἦδη, φίλτατε λύχνη, τρεῖς ἔπαρες· ἧ τάχα τερπνήν  
 εἰς θαλάμους ἤξεν Ἀντιγόνη προλέγεις;  
 εἰ γάρ, ἄναξ, εἶη τόδ' ἐτήτυμον, οἶος Ἀπόλλων  
 θνητοῖς μάντις ἔση καὶ σὸν παρὰ τρίποδι.

Vide quantopere *Iacobsius Animadu. III 1 (Lips. 1802) p. 323* in his uersibus explicandis, item illi, quorum coniecturas Stadtmuelleri apparatus criticus tradidit, aestuauerint. Atque recte quidem *Iacobsius* senarios comici Attici (C. A. F. III p. 438, 152 K.) attulit in commentario:

Βακχίς θεόν σ' ἐνόμισεν, εὐδαιμον λύχνη·  
 καὶ (ita *Reiske: καὶ traditum*) τῶν θεῶν μέγιστος,  
 εἰ ταύτη δοκεῖς.

e quibus efficitur, illud ἄναξ u. 3 recte positum esse. Sed quod ille in commentario l. s. s. ita enarrat: *Tanquam Apollo apud mortales coleris, et tua oracula non minus magni fient, quam quae e tripode proferuntur*, haec probari nequeunt, neque tamen illas aliorum coniecturas hoc loco refutare opus erit, si illa uerba recte tradita interpretari potuerimus. 'Scilicet tu', inquit, 'si tua uaticinia euenient, uates eris qualis Apollo mortalibus, tu quoque apud tripodem': lychnus enim

in tripode candelabri, Apollo prope tripodem stat, utrumque rhetor potuit *παρά* praepositione indicare, quia *ἐπί* de Apolline dici minime potuit, *παρά* de lychno tripodi imposito intellegi quodammodo potuerit. Ad sinistram candelabri ramus est positus, quem, quo modo explicem, non uideo nisi particulam agnoscere oportet earum quas Propertius (II 34, 59) uocat *corollas hesternas*, conuiuii acti reliquias eloquentes. Cubiculi spatium quantum introrsum pateat indicatur tribus strigis rectis a sinistra parte delineatis, duabus obliquis: certe periactos uel parascenia alia ratione indicari debuisset equidem iudico.

At de argumento huius scaenae comicae facilius arbitror consentientes me nacturum esse lectores, quam de singularium rerum interpretatione. Quicumque Plauti Cistellariam, quam e Menandri aliqua fabula uersam esse Latine constat, legerit, is primo obtutu fabulae exordium agnouerit, i. e. primam scaenam primi actus quem dicimus. Omnes enim editores in hac scaena tres agnoscunt adesse mulieres meretricii ordinis, puellas duas, Selenium et Gymnasium, lenam unam, matrem Gymnasii (u. 39), quae conqueritur, merum sibi parum benigne parumque copiose esse ministratum. Loquitur enim anus u. 17. 18 hoc modo: *hodie hic acceptae sumus suauibus modis, nec nisi disciplina apud te fuit quicquam ibi, quin mihi placeret*, Gymnasium filia ante dixerat Selenio u. 10: *in prandio nos lepide ac nitide accepisti apud te*. Itaque prandio perfecto mulieres tres sedent in scaena circum Delphicam, anus sola etiamnunc potat. Pergit enim anus de mala conuiuii disciplina, postquam aedium domina Selenium paululum offensa interrogauit u. 19: *Quid ita amabo?* — *Raro nimium dabat*, i. e. minister, *quod biberem, id merum infuscabat*, i. e. reddebat turbidum aut uapidum. Tum exterrita Gymnasium filia (u. 20): *Amabo*, inquit, *hicine istud decet?* Respondet mater: *Iusque fasque est: nemo alienus hic est*. Comiter pergit aedium domina Selenium: *Merito uostro amo uos, quia me colitis* e. q. s. Quid uero aliud potuit facere aedium domina, postquam anus de siti potusque penuria conquesta est, nisi ut iuberet ministrum dare ocus lenae quod biberet? Quod in Plauti editionibus non legimus adnotatum, factum id uero esse consentaneum est inter uerba lenae: *nemo alienus hic est* u. 21 et uerba Selenii: *Merito uostro amo te*. Itaque neque minister deest apud Plautum, neque cantharus uini

plenus, quem in pictura uidemus. Editiones denique huius scaenae titulum praebent hunc: *Selenium Gymnasium meretrices II lena*: archetypum Palatinorum more antiquo scaenico nihil habuisse nisi *meretrices II lena* apographa testantur, quae omittunt nomen lenae, quod ex uerbis poetae sumi non poterat, cum et Selenii nomen e u. 22, Gymnasii e u. 2 facile poterat in titulo interpolari.

Iam de nominibus puellarum, quae sunt in lithostroto, erit agendum, siquidem anum uinosam lenam esse matremque Gymnasii certum est. Sed utra puellarum Gymnasium sit, erit definiendum argumentis, quo facto, quae reliqua erit mulier, Selenium iure poterit nominari. Atque tribus sellis cum compositum sit triclinium, eodem ordine istas sellas esse collocatas cum eadem honoris dignitate, qua tres tricliniorum collocari soliti erant lecti, arbitrabimur. Dextrorsum igitur, quod Graece dicitur *ἐπιδέξια*, cum ministretur a summo, sella sinistra locus summus, media locus medius, dextra, qua sedet lena, locus imus iure appellabitur. Tradit Plutarchus quaest. sympos. I 3 p. 619 A ubi *περὶ τόπων ἐπέπεσε ζήτησις: ἄλλοι γὰρ ἄλλοις ἐντιμοί . . . Ἕλλησι δ' ὁ πρῶτος*. Quem primum locum a sinistra esse edocet ueluti Bluemner antiquit. priuat. Graec. Freiburg 1882 p. 238. Itaque mulier sella sinistra quae sedet, Gymnasium debet appellari, quae a Selenio domina aedium ad prandium erat uocata, ut breui postea absentis dominae loco aedes seruaret et custodiret: quod expositum est uu. 102 seqq. Ideo eius sella magnifice strata est puluino et stragula ueste, quam *δάπυδα* uocant Graeci, qualem mulieres tales ab amatoribus dono accipere esse solitas Lucianus auctor est dialog. meretr. 14, 3. 4, ideoque manibus tenet duo fila illa cum pilis frigefacientibus de quibus supra actum est p. 199. Media uero erit Selenium aedium domina, quae apte sese collocarat inter duas hospitas, ita ut utriusque possit esse et officiosa et obsequens.

Sed rectius erit argumentum illius primae scaenae Cistellariae ex editione aliqua antiqua sumptum hic proponere, ubi id enarratur Dioscuridis picturae nulla ratione habita. Legitur autem in editione in usum Delphini (Paris. 1679) uol. I p. 407 his uerbis (in quibus orthographiam correxi et numeros uersuum addidi): *Selenium, inuitatis ad epulas lena et lenae filia Gymnasio apud Alcesimarchum absentem, ipsius Alcesimarchi*

*domum* (u. 319) *relinquit mandato Melaenidis* (quae est mater Selenii): *nimirum Melaenis, auditis nuptiis Alcesimarchi pactis cum filia Demiphonis Lemnia, mandauerat Selenio, ut quamprimum discederet ab Alcesimarcho. Paret Selenium. In hoc discessu lena, et meretrices duae, Selenium et Gymnasium, fuse de amore disserunt legitimo illegitimoque. Et lena quidem fundamenta suae artis renudat: Selenium uero meretricem exhibet, in qua tantum pudoris inest et fidei, quantum in concubina esse potest. Quod a poeta eo maiori cum arte fit, quod eadem nubet modo Alcesimarcho: sed est in Gymnasio (immo in lena) imago et oratio meretricis exhaustissimi pudoris.*

Iam auscultemus singularum personarum orationem, qualem Plautus e Menandri fabula transtulit. Atque primum loquitur domus Alcesimarchi Sicyoniae custos Selenium id est mulier media uu. 1—7:

Cum ego ánte hac te amáui et  
 Mihi amícam esse créui,  
 Mea Gýmnasium, et mátrem  
 Tuám, tum id mihi hódie  
 Apéruisti, tu átque haec.  
 Sorór si mea ésses,  
 Quí magís potúeris  
 Mihi honórem ire hábitum,

5 Néscio: nisi, ut méus est animus, fieri non posse árbitror,  
 Ita omnibus relíctis rebus mihi frequentem operám dedistis.  
 Éo ego uos amo ét <uos> eo a me mágnam inístis grátiam.

Et eo <uos> Vssingius, mutandum accentum arbitror et in *eo* et in *uos* uocabuli repetitione.

Comiter laudanti respondet comiter mulier sinistra, i. e. Gymnasium hospita, anapaestico metro cum clausula trochaica (uide ad Rud. 681). Quos uersus in Palatinis et corruptos et interpolatos emendabimus una littera *o* cum Schoellio adiecta ex eis, quae apud Varronem de l. Lat. VII 99 traduntur uu. 8—11:

Pol istó quidem nos pretio <ó>ptanti est  
 10 Frequentáre: ita in prandio nós lepide ac  
 Nitide ácepeísti apud te út semper  
 Méminerimus,

Vbi *optanti est idem atque uolenti lubenti cupienti est* (R. Kuehner Ausf. Gr. d. lat. Spr. II 1, 1912 p. 322b). Prandio perfecto potat lena, reliquae abstemiae. Respondet tum Selenium, i. e. media mulier, id quod *cupio omnia quae uis uolgo solent effari* uu. 12. 13 sic emendatis:

Lubénti edepol ánimo factum, ét fiet á me:

Quae uós arbitrór uelle, ea út <mihi> expetéssam.

Vbi *mihi* addidit Spengel, conf. Trin. 228. Tertio loco, loco imo quae sedet a dextra, loquitur lena uu. 14—18:

Quód ille dixit, quí secundo uénto uectus ést [tranquillo] mare  
15 Véntum gaudeo ecástor ad te: ita hódie hic acceptaé sumus  
Suáuibús modis.

Néc nisi disciplína apud te fúit quicquam ibi, quin míhi  
placeret.

Conqueritur igitur lena ebriosa de apparitura conuiuui, quia nimis parce parumque largiter uinum praebuerit ministrator. Nempe est multiloqua et multibiba (conf. u. 149), bene saburrata (u. 121. 127), dolio uini commoueri uix potest, ut loquatur (u. 542). Interrogantem porro dominam conuiuui Selenium et respondentem lenam audimus u. 19:

*Se.* Quíd ita amabo? *Le.* Ráro nimium dábat quod biberem:  
id mérum infuscabat.

Puer — qualem ad dextram uidemus astare — raro nimis poculum meum complebat atque ipsa haec raritas merum utiabat. Selenium post haec uerba, ut iam supra exposuimus, non potuit non accersere puerum, denuo ut infundat. Sed picturam Dioscuridis qui pictor excogitarat, is mediam mulierem, quam Selenium appellauimus, induxerat manu dextra sublata gesticulantem et sermocinantem. Atque id, opinor, sermocinata est, quod quasi caput est illius scaenae Plautinae uu. 82 seqq.:

Hóc uolo agatis: qua áccersitae caúsa ad me estis,  
éloquar.

Exponit maesta et sollicita amorem Alcesimarchi amatoris, qui se ducturum esse Selenium uxorem matri pollicitus erat, mox coactus a patre cognatam Lemniensem ducturus est. Interim mulierum triga ante domum Alcesimarchi, quam uenustam et lautam appellant u. 314. 487, prope uiam, quae

memoratur u. 331, et sermocinatur et conuiuatur. Abit denique intro Gymnasium uicaria in aedes u. 117, postquam aedium domina Selenium u. 116 ad matrem abiit. Portam autem aedium, quam supra p. 198 exposui in archetypo picturae effictam fuisse, pultant u. 637, inde exit Alcesimarchus aedium dominus u. 640.

Sed Atticus pictor, qui tabulam archetypi confecerat, is scaenam illam dialogo compositam fuisse credidit, non, sicut apud Plautum, cantico. Quod inde intellegitur, quia tibicen in scaena nullus adest, qualem in anaglypho Neapolitano, quod in Roberti libro de personis exhibetur p. 62, uidemus tibiis canticum canentem. Neque enim de comissione cogitandum, cum et fax desit et coronae. Satis constat, scaenicos poetas Latinos saepissime pro diuerbio Graeci exemplaris supposuisse in fabula Latina canticum: uelut accidit in hoc exordio Cistellariae. Archetypi fabulae paucos senarios seruauit Hermogenes de inuent. IV 11 p. 201 Rab., ubi de uerecundia sermonis Menandrei agitur: *πυθομένον γάρ τιος κόρης, πῶς εἷη διεφθαρένη, σεμνῶς ἀφηγήσατο πράγμα αἰσχρὸν ἐνόμασι βελτίστοις* (C. A. F. III p. 170, 558 K.):

*Διονυσίων [ἦν] πομπή <γὰρ ἦν>,  
δὲ μοι ἠκολούθησε<ν> μέχρι τὰ πρὸς τὴν θύραν·  
ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων [τῆν] μητέρα  
ἔγνω με*

V. 2 *μοι* elisum ad exemplum Homeri: *μέχρι* cum accusatiuo positum etsi offendit, tamen, si Aeschin. de fals. leg. 133 scripsit *τοὺς μέχρι τετραράκοντα ἔτη γεγονότας*, Quintus XII 178 *σμερδαλέη δ' ἐνοπή μέχρις οὐρανὸν εὐρὺν ἴκανε* — similia collegit Kallenberg Mus. Rhen. LXXIV 1925 p. 97 — eundem accusatiui usum apud ueterem poetam extitisse non est quod negemus: qui *τὰ πρὸς τὴν θύραν* appellarat *πρόθυρον* ut Marc. 2, 2. Hos senarios id confirmare apparet, quod ex Dioscuridis pictura, in qua nullus cantici adsit tibicen, de dialogo siue diuerbio supra demonstraui. Verecundiam autem uerbi *ἔγνω* ex Hebraeo sermone transtulerunt in Gen. 4, 1. Simili autem sermonis modestia quondam usus erat Demosthenes in oratione de corona (129), cum scriberet: *ἡ μήτηρ τοῖς μεθήμερινοῖς γάμοις . . . χρωμένη*, quod *obscenitatis uitandae causa* sic dictum fuisse rhetorica (ad Her. IV 34, 45) edocebat. Has quoque facetias Menander in eadem fabula

(Cistell. 43) imitatus est, his uerbis lenam cum faceret clamantem: *Haec quidem ecaster cottidie uiro nūbit, nupsitque hodie, Nubēt mox noctu.* Atticam Platonis uerecundiam M. Tullius (epist. IX 22, 5) in tali elocutione agnosci uoluit. Sed redeamus ad Hermogenis senarios.

Atque Plautus, cum canticum suum constitueret, Graeci poetae uerbis liberius usus est. Qui u. 89 cum lenam faceret interrogantem:

Ópsecro,

Quó is homo insinuáuit pacto se ád te?

secundum Hermogenis uerba s. s. omnem obscaenitatem euitauit similique scripsit uerecundia, cum Selenium faceret respondentem:

Per Dionýsia,

Máter pompam mé spectatum dúxit. Dum redeó domum,  
Cónspicillo cónsecutust clánculum me usque ád fores.

Índe in amíctiam insinuauit cúm matre et mecúm simul  
Blánditiis, munéribus, donis.

Vbi poeta Romanus Menandrum non accurate uertit, sed suis uerbis adiectis magnopere dilatauit et auxit.

Sed dixerit aliquis plures eiusmodi scaenas in noua comoedia extitisse credibile esse, ubi lena uinosa sicuti in Cistellaria cum duabus mulierculis colloqueretur prandio perfecto. At neque apud Terentium neque apud Plautum, ubi et in Bacchidibus et in Poenulo binae meretrices introducuntur, similia leguntur, neque in Luciani dialogis meretriciis, quanquam saepius ibi matres cum singulis meretricibus colloquantur (3. 6. 7) neque alias inueni uelut apud Alciphronem aut apud Aristaenetum. Atque inter tot poetas nouae comoediae solus, quem pictor admirari potuerit, nominari debet Menander. Nam etiam Philemo ac Diphilus apud Velleium (I 16, 3) dicuntur *aequales eius aetatis magis, quam operis.* Quare alterum quoque Dioscuridis opus, quod exhibetur apud Curtium l. s. s. tab. IX p. 288, summopere credibile est ad Menandri aliquam fabulam spectare. Videmus in hoc musiuo duo homines et personatos et coronatos saltantes, canente tibicina, quae adstat. Alter tympano, alter binis cymbalis ictus numerosos ad cantum et schemata saltationis effert. Vestiti sunt tunica, superiniectis palliis corpori infra umbilicum, quae nodo magno supra uentrem posito sunt suc-

cincta. Sunt autem histriones: neque enim chorum comicum duobus stare hominibus est credibile.

Similem histrionem Robertus exhibet in libro de personis (p. 66), canentem, coronatum, gesticulantem, quem adulescentem *δεύτερον ἐπίσειτον* appellat. A sinistra saltatoribus illis adstat seruolus, manu dextra nescioquid tenens usui promptum. Quod quid fuerit incertum est ideo, quod locus antiquitus erat laesus et corruptus. Tamen aegre aliud potuit puer ministrare, nisi poculum uini plenum ad bibendum. Ad dextram cernitur porta scaenica, qua intus itur in aedes. Apud Menandrum quidem hanc ipsam scaenam extitisse equidem demonstrare non possum: similem possum. Menandri *Adelphos* secundos Latine uertit Plautus ea fabula, quae *Stichus* uocatur. Cuius in exitu uu. 762 seqq. Sangarinus seruus tibicini iussit dari biberet: dum bibit, serui duo *Stichus* et *Sangarinus* collocuntur senariis. At u. 769 denuo tibicen tibiis canit, denuo incipit canticum, sed ita ut uterque seruus cantet et doctissime saltet. Quam saltationem ita exhibent editiones inter duos seruos distributam: exorditur *Sangarinus*:

Qui *Iónicus* aut *cinaédicus*, qui hoc *tále* facere  
póssiet?

<*Stichus*> Si *istóc* me uorsu uíceris, alió me prouocáto.

<*Sangar.*> Fac tu hóc modo. <*Stich.*> At tu hoc módo. <*Sang.*>

Babae. <*Stich.*> Tatae. <*Sang.*> Papaé. <*Stich.*> Pax.

<*Sangar.*> Nunc páriter ambo. Omnis uoco *cinaédos* contra  
Satis ésse nobis nón magis potis [est] quám  
fungo ímber.

<*Stichus*> Intro hinc abeamus núnciam: saltátum satis  
pro uínost.

Vos, spéctatores, plaúдите atque ite ád uos  
comissátum.

Vbi *Ionicus* cum breui o littera adhibuisse uidetur Plautus, personas recte distinxit *Ritschellius*, Reizianos Leo. Atque hunc exitum fabulae simili modo compositum fuisse apud Menandrum atque fabulae illius scaenam, quam pictor archetypi Dioscuridis in altera illa tabula effinxerat, apertum est. Apud Plautum in exitu *Stichi* ad tibicinem, cui mea sententia puer minister, non histrio saltator, potionem porrexerat, saltant duo serui post conuiuium, cui *Stephanium* ancilla adfuit: in Dioscuridis tabula ad tibicinam, cui puer

seruolus adstat, saltant duo homines liberi, coronati, ex conuiuio praesentes. Itaque in illa Dioscuridis tabula exordium fabulae Menandreae, quod apud Plautum seruatum est fuitque diuerbium apud Menandrum, canticum apud Plautum, pictum est lapillis; in hac, quam ultimo loco descripsimus tabula, exitus talis fabulae Menandreae, qualis et apud Graecum et apud Latinum poetam fuit canticum.

Bonnae.

Fridericus Marx.\*)

---

\*) *Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates*, siquidem antequam proficiscar e uita sarcinae sunt colligendae, necessitate coactus publice hic profiteor. Nimio enim honore me affecit modo S. Winger *uol. IV Magnae Judaicae Nationalis Biographiae* p. 288, qui immerito meum nomen inter uiros illustres stirpe Judaica collocarit ortos. Quorum in numero fuere, qui primum Mardochai, postea nostrae familiae nomine ipsi sese nominarunt, sicuti quondam, qui Pasicles fuerat grammaticus, postea Pansa maluit dici. At amicus Abraham, amicus Isaac et reliqui deinceps ex ordine, magis amica ueritas. Merito contemnitur, quem sui pudet generis, longeque fugit qui suos fugit, praeterque illum editorem nemo per IV saecula meos a suo sanguine alienauit. Qui editor cuiusmodi sit, ex nominum Latinorum barbarie l. s. s. intellegas, ubi rhetoricam laudauit *ad C. Heresium* similia.